

P. VERGILI MARONIS

excoquitur uitium atque exsudat inutilis umor,
seu pluris calor ille uias et caeca relaxat
spiramenta, nouas ueniat qua sucus in herbas, 90
seu durat magis et uenas astringit hiantis,
ne tenues pluuiæ rapidiue potentia solis
acrior aut Boreæ penetrabile frigus adurat.
multum adeo, rastris glaebas qui frangit inertis
uimineasque trahit cratis, iuuat arua, neque illum 95
flaua Ceres alto nequiquam spectat Olympo;
et qui, proscisso quæ suscitât aequore terga,
rursus in obliquum uerso perrumpit aratro
exercetque frequens tellurem atque imperat aruis.

Vmida solstitia atque hiemes orate serenas, 100
agricolæ; hiberno laetissima puluere farra,
laetus ager: nullo tantum se Mysia cultu
iactat et ipsa suas mirantur Gargara messis.
quid dicam, iacto qui semine comminus arua
insequitur cumulosque ruit male pinguis harenae, 105
deinde satis fluuium inducit riuosque sequentis,
et, cum exustus ager morientibus aestuat herbis,
ecce supercilio cliuosi tramitis undam
elicit? illa cadens raucum per leuia murmur
saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arua. 110
quid qui, ne grauidis procumbat culmus aristis,
luxuriam segetum tenera depascit in herba,
cum primum sulcos aequant sata, quique paludis
collectum umorem bibula deducit harena?
praesertim incertis si mensibus amnis abundans 115
exit et obducto late tenet omnia limo,
unde cauae tepido sudant umore lacunae.

Nec tamen, haec cum sint hominumque bouumque labores
uersando terram experti, nihil improbus anser